

nō fieri non potuisset si Ecclesia in edenda hac confessione, ad certa verba & sententias alligata fuisset. Et quid multis opus, non ad verba sed rem habitum fuisse in confessione respectum disertē Irenaeus asserit *l. 1. c. 3. Una, inquit, atq; eadem fides, nec qui de ea uberrimam orationem habere potest, exuberat, nec qui pauca habet quae dicat, eam imminuit.*

VIII. Incertius ergō est ab Apostolis ipsis Symbolum ita compositum esse; de quo tamen nullatenus dubitandum, censet Fevardentius in *Not. ad lib. 1. c. 2. Irenaei, cum auritus & oculatus testis sit Clemens Romanus Epist. 1. & Apostoli ita decantant in Liturgia Jacobi: cui si addas ex T. 1. Bibl. Patrum. Missam Marci & Petri augebis spuriorum testium numerum. Sanē scimus confessionem hanc ad Apostolos referre Quarti & sequentium seculorum Scriptores Ruffinum, l. d. Hieron. in Ep. ad Pammach. l. 3. s. 79. Ambros. ser. 38. Paschas. Diac. Rom. Tom. 5. Bib. P. p. 734. Isidor. l. 2. de Eceles. Offic. c. 23. Fortunatum, T. 6. Bib. par. 2. p. 381. (quae ex Augustini lib. 1. in Symb. & Ser. 181. afferuntur dubiae sunt fidei) sed quo sensu supra diximus & infra audiemus.*

IX. Certē idem Elogium Symbolo Niceno, Lucifer Calaritanus, de non parcendo in *DEUM delinquentibus T. IV. Bibl. Pat. p. 172. & Job. Cass. l. 6. c. 4. de in car. T. 5. par. 2. Bibl. Pat. p. 77.* tribuunt, quorum ille hanc esse fidem Apostolicam Evangelicamq; asserit; hic, Symbolum id ab Apostolis DEI conditum esse dicit; quod ratione materiae ex Apostolicis scriptis desumptae & harmonici consensus omninō accipiendum est.

X. Illud verō incertissimum est, quod quinto demum seculo Leo Ep. 13. T. 5. Bib. Pat. par. 2. p. 882. scribit duodecim Apostolorum totidem signatam esse sententiis: quo adhuc confidentior is qui Ser. 115. de Tempore T. 10. August. conscripsit (Augustini enim non esse Erasmus A. omittens indicat, Lovanienses disertē fatentur & res ipsa loquitur) cui libet Apostolorum suam assignans particulam. Unde tandem nata est monstrosa illa Symboli derivatio: dicitur a *sin* quod est *con & bolum*, quod est *frustrum*, quasi *frustrorum*, id est *capitulum vel particularum fidei collectio: a sin quod est*